4

NAZIONALE
EMANUELE
Digitized by Google

B.
542

Credesi non sia
stato publicato altro.

Digitized by Google

FRANCHINI
STATVS
SVÆ RELIGIONIS.

Digitized by Google

STATVS RELIGIONIS FRANCISCANÆ MINORVM CONVENTVALIVM,

Expreſſus numero Prouinciarum, & Conuentuum, in quibus erat hæc Religio Anno Chriſti MDCLXXXII.

A FR. IOANNE FRANCHINO DE MVTINA
Procuratore Generali Ordinis, formatus, & Dicatus

Em.mo, ac Reu.mo Domino, Tituli SS. Apoſtolorum S. R. E. CARDINALI

LAVRENTIO BRANCATO DE LAVRÆA,

Ex Ordine Minorum Conuentualium aſſumpto.

OPVSCVLVM PRIMVM

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ROMÆ,

Ex Typographiæ Stephani Caballi. M DC LXXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

EM.ME AC REV.ME DOMINE.

NIMIO quidem auſu tantillam ornaturus opellam, tantum, ac tam venerabile ſapientibus nomen E. V. ſciolus ego aſſumo ad inſcitiæ meæ decoramentum. Benigniſsima tamen ignoſcet Em. V. dum ſe recolat, tot voluminum Patrem, & paruulis hanc libellis peperiſſe fiduciam, vt ſibi benè conſultum exiſtiment eundo quo trahantur, dum ab hoc primo

Mo-

Mobili ſcientifico, nedum altioris ſpheræ ſtudioſi, ſed & infimæ quique notæ arripiantur ſcripturientes. Tanti Sapientis alta profunditas, ſtudioſis centrũ, ad quod contendant. Purpura, quæ altera Pallas, e cerebro naſcitur, ingenioſis colenda victimis. Nonniſi litterario redoleat thure ſapientiæ templum. Tot litterarijs fœtibus editis, quot voluminibus, Mineruałis familiæ Pater, non dedignetur, infimo ſuæ prolis famulitio adſcribere libellum, cui paruulo dabit incrementum, recantatum tot nominibus nomen. Religio, cuius hic ſtatum ediſſero, vnicè hoc gloriatur ſtatu de-

corofo,

coroſo, quo ornatur per E. Veſtræ purpuram, remicantibus ab ea radijs, quos ab Em.^mi^ Centini occaſu non viderat orientes; noctemque Alcmenica lõgiorem paſſa, tunc ſolum Auroram ſenſit, cum à Tyberinis, melius quam Gangeticis oris, exurgens illuſtre laboribus nomen aſpexit, Herculeo ſuperimponi, quod vltra duodecim compleuiſſet laudatiſsimè labores, quibus amplior ſtatueretur Zodiacus tanto Soli, nonniſi rorifico Minerualis Auroræ ſudore præcedente, exorituro. Cæli quidem Vaticani ſummæ Intelligentiæ debet deuinctiſsima Religio clementiſsimum tanti fauoris influ-

xum;

xum; nam quæ hac innocentia regnante, tanta dominante iuſtitia, vera ſanctitate imperante nonniſi fortunatos ſibi promiſerat euentus, vtpotè, quæ tertio ſub Innocentio nata, incremento hoc illuſtri, Innocentio ab vndecimo eſt aucta, auſpicale faſtis Minoriticis inſeret Innocentij nomen, ſub quo iam fæliciter nata, nunc feliciſsimè creuit; ipſe vero, qui abſentis tunc P. Generalis vices ſupplendo, primus pro Religione ſanctiſsimis pedibus obſequentia oſcula infixi pro prima gratiarũ actione, audeo nunc quoque primus ex Ordine, ſupplicibus votis implorata venia, hoc incremento augere libelli exi-

lita-

Digitized by Google

litatem, illudque decorare obſequium, quo gloriatur

E. V. Reu.^ma

Romæ Idibus Nou. 1682.

Humillimæ tenuitatis addictiſſimus Seruus

Fr. Ioannes Franchinus à Mutina Procurator Ordinis Minorum Conuentualium.

b APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO
PATRIS MINISTRI GENERALIS.

FR. IOSEPH AMATVS
A MASAPHRA

Artium, & Sacræ Theologiæ Magiſter Vniuerſi
Ordinis Minorum Conuentualium
Miniſter Generalis.

OPuſculum typis paratum à Patre Magiſtro Ioanne Franchino de Mutina Noſtri Ordinis Minorum Conuentualium Procuratore Generali, quod inſcribitur *Status Religionis Franciſcanæ Minorum Conuentualium, expreſſus numero Prouinciarum, & Conuentuum, in quibus erat Religio anno Chriſti* 1682. per Cenſores à Nobis deputatos attentè conſideratum, & expenſum, atque ſine labe, quæ ipſi officere poſſit quin publicetur ab ijſdem repertum, facultate, quam per præſentes libenti animo impartimur, vt publici iuris per typographicam impreſſionem fieri poſſit, concedimus, quantum ex Nobis eſt, nobiſque permittunt Concilia, & Summorum Pontificum Decreta, aliaque ſtatuta Conſtitutionum Vrbanarum Ordinis, ipſum in cæteris remittentes ad eos Superiores, ad quos de iure ſpectat licentiam imprimendi concedere,

dere,

Digitized by Google

dere, quos ipſe adire teneatur, his noſtris non obſtantibus. In quorum fidem has dedimus Romæ ex Noſtra Reſidentia in Conuentu apud Baſilicam Sanctorum duodecim Apoſtolorum die duodecima Nouembris M DC LXXXII.

Fr. Ioſeph Amatus à Maſaphra
Min. Gener.

Locus ✠ Sigilli.

Fr. Berardus Berardi de Setia Secretarius, & Aſſiſtens Ordinis.

Digitized by Google

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

I.de Angelis Archiepiſc.Vrbin.Viceſger.

Imprimatur,

Fr. Antoninus Alphanius Magiſter, ac Reuerendiſs. Patris Fr.Dominici Puteobonelli Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtri Socius, Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

Opuſculi diuiſio.

PRÆLOQVIVM I.

IN quo ſenſu hic accipiatur ſtatus Religionis, & in quo hæc aliàs fuerit.

PRÆLOQVIVM II.

Vltima Religionis diuiſio per Prouincias, cum ipſarum enumeratione, & confinijs.

PRÆLOQVIVM III.

Prouinciæ Prouincijs, hodiernæ ſcilicet antiquis comparantur in numero Conuentuum.

PRÆLOQVIVM IV.

Numerus Conuentuum variatus à ſuppreſſione Innocentiana, eiuſque cauſa.

PRÆLOQVIVM V.

Qui, & quot Conuentus in ſingulis Italiæ Prouincijs Ordinario ſubijciantur.

PRÆLOQVIVM VI.

Enumerantur Conuentus, qui in vnaquaque Prouincia adhuc remanent ſuppreſſi.

PRÆLOQVIVM VII.

Quot ſint Religioſi Conuentuales, quotque in qualibet Religione Franciſcana, & ſummatim.

PRÆLOQVIVM VIII.

Cauſæ imminutionis Conuentualium in diuerſis locis.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLOQVIVM IX.

Explicantur quædam circa Moniales, & Miſſiones noſtras tum Apoſtolicas, tum Religionis.

Nomina omnium Conuentuum indice alphabetico latino, cum Diœceſibus, & nominibus ſuæ Prouinciæ iuxta methodum Ordinis.

Eadem nomina vulgari idiomate nationum, inter quas reperiuntur alio indice, ordine itidem alphabetico dato.

Litteræ circulares Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium ad Epiſcopos, circa applicationem bonorum, & Grangias, ac membra Conuentuum ſuppreſſorum.

Decretum Innocentij X. ſuper ſubiectione nonnullorum Conuentuum iuriſdictioni Ordinariorum, Sedis Apoſtolicæ Delegatorum.

Dubia ex hoc Decreto ſuborta, præfatæ Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium propoſita, & ab ipſa reſoluta.

Decretum eiuſdem Sacræ Congregationis, quod Confeſſarij Regulares non Parochi commorantes in Conuentibus Ordinario ſubiectis non poſſint ab eodem cogi ad conferentiam caſuum conſcientiæ.

STATVS

Digitized by Google

STATVS RELIGIONIS FRANCISCANÆ MINORVM CONVENTVALIVM

PRÆLOQVIVM PRIMVM.

De ſtatu Religionis.

1 HIC ſtatus eſt ea conditio rerum, in qua nunc reperitur Religio ſecundum eſſe phyſicum, ſeu topicam conſiderationem, qua, & ex circumſtantijs adiacentibus ipſum elicere poſſimus, corpus membrorum quantitate metientes. Fateor quidem Religionum conditio à Fundatione, Fundatore, Inſtituto, ſcientijs, auſteritate, antiquitate, priuilegijs, vtilitate, habitu, alijſque deſumitur. Verùm ego ad hiſtorica, aſcetica, honorifica non collimo. Non Religionis qualitatem, ſed quantitatem ediſſero, & hanc localem, non perſonalem, vnde neque ſtatum moralem, politicumve attingam. Dabo Prouincias, dabo Conuentus, in quibus anno milleſimo ſexcenteſimo, & octuageſimo ſecundo iuriſdictionem exercebat noſter Pater Miniſter Generalis Reuerendiſs. P. Magiſter Ioſeph Amatus à Maſaphra, enumerando loca, in quibus gens ipſius obedientiæ ſubiecta conuiueret. Hæc cum præſtiterim, ſum voti compos.

2. In alio, & quidem pinguiori ſtatu fuit cenſita Religio, in ipſius primo, deinde ſecundo, & poſtea quarto ſæculo. Cenſitor primus Sanctus Bonauentura quarto

Digitized by Google

Generalis ſui regiminis anno, qui fuit Chriſti ſexageſimus ſupra milleducenteſimum, ipſam Prouincijs, & Cuſtodijs numerauit. Secundus Bartholomæus Piſanus, ſcriptis, & miraculis clarus, in ſuis Conformitatibus editis anno milleſimo tercenteſimo nonageſimo nono, anno duodecimo Generalatus Henrici Alferij Aſtenſis. Tertius Petrus Rodulphius Tauſinianenſis, è Scriba Religionis primo Venuſinus, dehinc Senogallienſis Epiſcopus, qui hiſtoriæ Seraphicæ monumenta, vnico, ſed ſtudioſo tomo comprehenſa dedit anno milleſimo quingenteſimo ſupra octuageſimum ſextum, primo Generalis Pellei Forciani. Quartum dat manuſcriptum Vaticanum notatum 1960. 264. ad Cronicon Iordanis, inſcriptum *Prouinciale Romanum*, additurque ad calcem *Prouinciale Minorum*, cum enumeratione Prouinciarum, & Conuentuum, & tunc refert fuiſſe numero mille quatercentum, & quadraginta tres Conuentus. Sed licèt attentiſſimè quæſierim annum, quo fuerit ſcriptum, inuenire non potui; antiquum tamen coniectare liceat ex eo, quod tunc, cum fuit ſcriptum, extarent Conuentus Tartariæ Sericanæ, Mediæ, Athenarum, Corinthi, Thebarum, qui vel non, vel vix ſecundum ſæculum Religionis exceſſere: Immò antiquitatem probat etiam numero Conuentuum prædicto, ex quo colligitur Scriptorem floruiſſe ante B. Bartholomæum Piſanum, quia tempore huius ducenti Conuentus fuerant additi, cum ipſe Conformit. lib. 1. fruct. 11. enumeret Conuentus mille ſexcentos, enumerando Prouincias Religionis.

3. Sed fuimus: fuit numerus, & ingens gloria Minorum in tot Prouincijs, in quibus nunc, & fides, & Religio iacent, vel ſtratæ Turcarum armis, vel hæreſi deformatæ, millenis, milleniſque, & ſuccenſis, & execratis Eccleſijs, ac Religioſis domibus. In Oriente vineam Franciſcanam exterminauit Aper de Silua Mahometica, ſubuertendo Conuentus, quos in Syria, Macedonia, Peloponneſo, Media, Saraya, Kytaia, Euboea, Cypro, Creta Minores

extru-

extruxerant. Ad Septentrionem fera peſſima hæreſis deuorauit Seraphici Filios in Danimarchia, Suetia, Saxonia, Noruergia, Hollandia, federatiſque, ſicut & in Anglia, Hybernia, Scotia, deletis, vel mutilatis Prouincijs. Ad Meridiem, Mauritania, Lybia, Ægyptus, aliaque Afrorum littora noſtrorum ſanguine, martyrio, inſulis decorata, & in fide roborata per annos ex incolatu Minorum, dato collo Mahometicæ ſeruituti, ſuauique excuſſo fidei iugo, & Minores, vel perempſere, vel eiecere. In Occidente tandem alijs de cauſis infra referendis in Hiſpanijs alia ſunt experti. Vnde à quatuor ventis paſſa procellas Minoritica Cymba, alicubi ſenſit tempeſtates, quibus agitabatur Petri Nauis, ad cuius commoda, & ſeruitia velificat; alibi ſuorum acta pondere, nec ſyrtes, nec ſcopulos omninò euaſit. Tot iacturis acceſſit & aliunde diminutio Conuentuum, nam tot Filialibus aucta Religionibus, hæc antiqua Mater quaſi dotem multa dedit loca Filiabus dum adoleſcerent; vnde licèt gloriemur numero, ex quo noſter Conuentualium Generalis Samſon pro Cruciata triginta millia Fratres obtulit Summo Pontifici, hos ſe daturum aſſerens citra quodcumque Eccleſiarum, vel Conuentuum incommodum, nunc tamen fatemur, quod nos Minorum antiquiores, domibus minorati, & numero, appenſi in aritmetica ſtatera, inuenti ſumus minus habentes, quàm tunc.

PRÆLOQVIVM SECVNDVM.

Diuiſio Prouinciarum.

4 HAnc ſingulari Conuentuum enumerationi præmittentes, eo ordine atteximus, quo Vrbanæ Conſtitutiones Ordinis anno 1628. dedere Prouincias; licèt enim poſtea facta ſit aliqualis immutatio in numero Conuentuum, nulla tamen euenit in numero Prouinciarum.

Sunt igitur hæ noſtræ actuales Prouinciæ.

Prouincia

1 S. Franciſci.	19 Occitaniæ.
2 Romæ.	20 Poloniæ.
3 S. Antonij	21 Ruſſiæ.
4 Bononiæ.	22 Styriæ.
5 Neapolis.	23 Coloniæ.
6 Siciliæ.	24 Argentinæ.
7 Marchiæ.	25 Leodij.
8 S. Nicolai.	26 Romaniæ.
9 Mediolani.	27 Auſtriæ.
10 Tuſciæ.	28 Bohemiæ.
11 Ianuæ.	29 Orientis.
12 S. Bernardini.	30 Tranſiluaniæ.
13 Calabriæ.	31 Vngariæ.
14 S. Angeli.	32 Angliæ.
15 Sardiniæ.	33 Hyberniæ.
16 Dalmatiæ.	34 Saxoniæ.
17 S. Bonauenturæ.	35 Daniæ.
18 S. Ludouici.	36 Terræ Sanctæ.

PRIMVS autem locus attributus eſt Prouinciæ S. Franciſci ex Decreto Capituli Generalis Bononiæ 1584. præſidente Bontadoſio de Monte Falchio, ſic ſtatuendo ex reuerentiali conſideratione Patriæ, & ſepulchri S. Patris, ideòque & beneficij, quod tota debet Religio Aſſiſiatum Ciuitati, Fundatoris, & Religionis Patriæ. Extenditur autem hæc Prouincia per totam Vmbriam Ciſapeninam, incipiendo à circa Tyberis fontes, nempè Tiferno Tyberino, Plebe, Burgo, ad Nequinos, ſeu Narnienſes, & Narem fluuium, addens & è Pontificia Hetruria tractum Peruſinum, cum ſex Conuentibus Aprutinis ditionis Regni Neapolitani.

SECVN-

SECVNDAM caput Mundi Roma denominat, in Prouinciæ meditullio ſita, vnde ipſi ſecundas damus. Latinorum, ac Sabinorum Vrbes, ac Oppida hæc circumplectitur, additis quatuor Conuentibus è Regno Neapolitano, alijſque è Tuſcia Papali.

TERTIAM dicimus Antonianam à ſacris Diui Patauini cineribus in ipſa quieſcentibus, & continentur in ea intimiores Dominij Veneti partes, Marchia Teruiſina, Euganei, Carni, quos à Foro Iulij (nunc Forum vulgo Ciuidalis nomine ad Natiſonem appellatur) dicunt Foroiulienſes, incoluntq, nobilem Prouinciam Attilę furoribus celebrem, quam & Patriam Veneti vocant, incluſis etiam Tridentinis Conuentibus è Rhetia.

QVARTA à Studiorum Matre in ipſius medio ſita denominatur Bononienſis, dicta aliquando Lombardiæ, aliquando Romandiolæ, ſeu Æmiliæ; includitur Apenino, Adriatico, Arimino, atq; Cremona, vbi Exarcatus, Gallia ciſpadana, nunc Lombardiæ pars, & quod Cenomanorum carpitur ad Cremonenſes, cum vnico Mantuani dominij Conuentu.

QVINTAM primi Minores Prouinciam Terræ laboris, modo Neapolis ab inſigni, ac Italiæ populoſiſſima hac Vrbe ſui Regni Metropoli appellamus; eſtque ipſius tractus per aliquam Latij partem, Campaniam Fęlicem, Picentinos, vbi nunc Principatus citerior, Hirpinos, vbi Beneuentum, Lucanos, vbi Baſilicata.

SEXTA, quæ numero, & qualitate Conuentuum cuilibet alteri Religionis Prouinciæ præferenda iure cenſetur, ſui nominis Inſula circumſcribitur, addita Melitenſi, in qua tres Conuentus, totamque Siciliam vnici Miniſtri Prouincialis obedientiæ ſubdit.

SEPTIMAM Æſinæ, Anconitanæ, vel Lauretanæ Marchiæ dixeris, vt malueris, dum à Piceno non diſtinguas, Æſi, ac Truento fluminibus, Apenino, & Adriatico terminato, cui noſtri addidere Vmbriam tranſapeninam

à Se-

à Senonibus ad Feretranos.

OCTAVA à Sancti Epiſcopi corpore, quod poſſidet, nomen ſortita eſt in Meſſapia Iapygia, Apulia Paucetia, quas incolunt Brunduſini, Hydruntini, Barenſes, cum aliqua parte Principatus, & Baſilicatæ.

NONA ab illuſtri Inſubrum Metropoli nomen mutuata, Mediolani dicitur, hincque dilabitur per vberiores Inſubriæ, ſeu Lombardiæ tranſpadanæ regiones, quibus & è Venetis addit Brixienſem, Bergomenſem, Cremenſemque diſtrictus, cum valle Auguſtæ ad Allobroges, aliquibus locis in Pedemontanis, ac tribus ſub Heluetijs, Italicis tamen, ac iam in Ducatu Mediolanenſi.

DECIMA ſe ſuo nomine loquitur, in antiquis Florentinorum, Senenſium, ac Piſanorum dominijs, nunc Medicei iuris ſub Magno Duce, iacetque inter Apeninum, ac Tyrrhenum.

VNDECIMA Liguriam, Pedemontem, Montemferratum, amplumque Inſubriæ tractum, nempè à Ianuenſis Reipublicæ finibus Ticinum vſque complectitur.

DVODECIMAM Pennenſem, ab huius nominis Vrbe in Religionis primordio dicebamus, nunc verò ab in ipſa defuncto, & quieſcente Sancto Bernardino denominamus, ipſique adſcribimus antiquorum Samnium, nunc Aprutium citerius ad Sulmonam, Theatem &c. Veſtinoſque, nunc Aprutium vlterius ad Aquilam, Pennam, Theramum &c. claudimuſque Mari, Campania, Piceno, & Apulia ſub vnico Aprutij nomine.

TERTIAMDECIMAM dat Calabria, non quidem in ampliori Antiquorum latitudine, qua Tarentinos, ac Hydruntinos complectebatur, cum ipſam à Caſtro villarum ad Leucopetram, & Lacinium vltima Italiæ promontoria menſuremus, ea terræ lingua, quæ quaſi peninſula, Ionio, ac Tyrrheno comprehenditur, quam incolunt Brutij in Calabria citeriori, & magnæ Græciæ indigenæ in Calabria vlteriori.

QVAR-

Digitized by Google

QVARTADECIMA ab Angeli apparitione in Gargano auſpicata nomen), continet Apuliam Dauniam, nunc Capitanatam, vbi Sipontini, Tranenſes, Garganum &c. Comitatum, vbi Iſernia, Venafrum, Aquilonia &c.

QVINTADECIMA Ichinuſæ nomine in Sardiniæ mutato, ſe ſola conſiſtit in ea Inſula Lybici Maris.

SEXTEDECIMÆ longior tractus ſinuoſus protenditur à Formione, ſeu Tiſano fluuine (quod ipſam diſterminat ab Antoniana) per totam Iſtriam (Tergeſtinis exceptis) ſequiturque per Liburnos, Dalmatas, Albanenſes, Inſulas, Cherroneſos adiacentes, & alia Sclauoniæ, ſeu Illyrici loca.

DECIMASEPTIMA Heduos, & Sequanos, nunc vnico Burgundionum nomine appellatos; Sebuſianos, Breſſæ nunc, Celtas, hodie Lugdunenſes, Allobroges, ſeu Sabaudos cum Delphinatu continet.

DECIMÆOCTAVÆ Sanctus Minorita Epiſcopus Maſſilienſium dat nomen, ac ambitum per Gallo-Ligures, ſeu tractum Galliæ Narbonenſis, qui clauditur Alpibus maritimis, Delphinatu, Mari Mediterraneo, ac Rhodano ad ſinum Leoninum, vocaturque Prouincia, Gallis *Provence*.

VNDEVIGESIMÆ Conterraneus iam, Franciſcanorum Tertiarius nomen indidit ſuum Sancti Rocchi pro Occitaniæ, quo vocabatur, ad Septimanos in Narbonenſibus, neque extenditur extra eamdem Occitaniam, vulgò *Languedoc*.

VIGESIMA per vtramque Poloniam longè, lateque extenditur.

VIGESIMAPRIMA Ruſſiam nigram nouem Palatinatibus vaſtam, atque Lithuaniam, veteris Sarmatiæ regiones ambit, erantque & noſtratibus quondam duæ Prouinciæ, ſicut & nunc inſtant diuidi, tum ex numero Conuentuum aucto, tum ex nimia locorum diſtantia in vaſtiſſimis illis regionibus.

VIGESIMASECVNDA per Mediterraneum Noricum, in quo nunc Styria, Carinthia, Carniola, & aliquid Carniæ, extenditur, additis à quindecim circiter annis ijs Conuentibus in Iſtria, & Carnia, qui Cæſareæ ſunt ditionis, nempè Tergeſtino, Goritiano, Grignanenſi.

VIGESIMAMTERTIAM integrant Vbij, ſeu Colonnienſes, Iſtheuones Ptolomeo, quos weſtphalos nunc vocant, Catti, quos nunc Haſſos, & Gallo-Belgæ, ſeu Treuirenſes cum Cleuenſibus.

VIGESIMAQVARTA à celebri Rhenana Ciuitate ſortita nomenclaturam Argentinæ, Conuentus per Alſatiam, Bauariam, Heluetios, Conſtantienſes, Sueuos, ac Rhenanos extendit.

VIGESIMAQVINTA vicino morbo è Batauica luc-minuta, ſui reliquias ſolo Leodienſi dominio contraxit.

VIGESIMASEXTA Romaniæ ſolo nomine vaſta, nunc tribus Inſulis continetur, Phæaciæ, ſeu Corcyræ in Ionio, Zazinthi, ac Cæphalleniæ. Cætera abiere in ruinas ſub Turcico dominatu.

VIGESIMASEPTIMA eſt Auſtria, nobile quondam Pannoniæ membrum, eaque pars Norici Ripenſis, quæ ad Flauianam, ſeu Viennam extendebatur ad Danubij ripas; hac tamen (quoad Franciſcanos) extenſa Prouincia, etiam ad Sileſiam ſuperiorem, atque Morauiam.

VIGESIMAOCTAVA totam Bohemiam,& inferiorem Sileſiam circumplectitur.

VIGESIMANONA, quæ dicitur Orientis, vix ſui veſtigio relicto, gemit ſub Turcica ſeruitute, ſuperſtitibus duobus tantummodò Conuentibus,nempè vno Perę Conſtantinopolis, in quo cum noſtris reſidet Epiſcopus titularis, Vicarius Apoſtolicus Conſtantinopolitanus, qui ex noſtris ſemper aſſumitur, & altero Conuentu Panhormi in Boſphoro Thracio.

TRIGESIMA ad vnicum Baccouiæ Conuentum in Tranſiluania ius retinet, cæteris iamdiù diſſipatis bello-

rum,

rum, Hæreticorum, Turcarumque furoribus.

TRIGESIMAPRIMA in ſuperiori, & inferiori Hungaria varijs hæreſum, & rebellionum agitata, & mutilata ruinis, adhuc tamen, licèt attenuata, conſiſtit.

Cæterarum verò, ſcilicèt Angliæ, Hyberniæ, Saxoniæ, Daniæ, Terræ Sanctæ titulum, & ſigilla retinemus, & nihil vltra.

PRÆLOQVIVM TERTIVM.

Status comparatio.

5 NOn tamen ſtatum Religionis ſub Generalatu S. Bonauenturæ in comparationem adducimus, quia diſtinctim datum nullibi habemus; nec eum quem Rodulphius Tauſinianenſis, quia hic iura potius, quam Conuentus actuales ſui temporis enumerauit, ſecutus fortè antiquioris alicuius ſtatus diſpoſitionem, vt patet ex enumeratione locorum Cuſtodiæ Bononiæ, vbi pro Conuentibus enumerat rurales noſtri iuris Eccleſias, quæ ante ipſius tempus fuerant Conuentuli, & iam fuerant vnitę Conuentui Bononiæ, antequam ipſe ſcriberet; ſic de Conuentu Bobij iamdiu reformato. Vnde remanebunt conferendi ſtatus à Piſano traditus vtpotè authenticus, perſpicuus, & ſuo tempori affixus, ac verè medians inter ſæcula Religionis, à quorum extremis paſſu quaſi pari recedit, noſterque iſte quem modo damus, inter quos cum medient anni ducenti octogintatres, apparebit, quæ mutatio in numero Conuentuum ſit facta his fere tribus ſæculis.

6. Piſanus igitur Conformit. lib. 1. fructu 11. & ex ipſo Chronica Marci Vlyſſiponen. par. 2. lib. 9. cap. 37. cuilibet Prouinciæ proprium numerum Conuentuum aſſignat:

Et primo in Prouincia S. Franciſci enumerat Piſanus Conuentus octoginta, nunc ſunt tantum quadraginta duo, cauſaque decrementi eſt triplex, prima quod multa Eremi-

B toria,

Digitized by Google

toria, in quibus vnicus Frater, & ad tempus, moraretur à Piſano computantur pro Conuentibus; ſecunda quod aliquibus per noſtros Superiores ſponté aſſignatis Fr. Paulo Trincio Protho-Obſeruantino,ac Socijs ipſius, auctis deinde per noſtros Thomæ Frignani Mutinenſis (qui primus duodecim Conuentus Fr.Paulo donauit)Generalis ſucceſſores,ij creſcenti Obſeruantiæ remanſerint; tertia verò cauſa eſt ſuppreſſio Innocentiana, de qua inferius.

PROVINCIA ROMANA quinquagenario numero Piſani, denarium addit, aucta vſque ad ſexageſimum Conuentum.

VENETA ipſi fuit Conuentuum trigintanouem, mihi trigintaſeptem.

BONONIENSIS aucta quatuor Conuentibus, quadraginta ſex auxit in quinquaginta.

NEAPOLITANA, & ipſa viginti trium Conuentuum incremento, immutauit quinquagintatres in ſeptuagintaſex.

SICVLA pluſquam triplo ſuccreuit; nam Piſani tempore vigintiſex Conuentus continebat, nunc vero octogintatres.

MARCHIA ſola nec ſub, nec ſupra numerum Piſani, eundem retinuit, ſcilicet Conuentuum ſeptuagintanouem.

APVLA Barenſium, quaſi duplicata, pro vigintiſex Conuentibus Piſani, nunc quinquaginta vnum comprehendit.

MEDIOLANENSIS ſex Conuentus Piſano addidit, pro vigintiſex, nunc trigintaduos enumerans.

TVSCIA nouem Conuentibus diminuta pro quadraginta octo, triginta nouem computat ex Innocentiana ſuppreſſione.

IANVENSIS nouem Thuſciæ compenſat, totidem aucta, vnde quæ erat trigintaquatuor, nunc eſt quadraginta trium Conuentuum.

APRVTINA quadraginta duorum Conuentuum Pro-

uincia Piſano, nunc vnico eſt diminuta.

CALABRIA, quæ tunc ſeptendecim, nunc gaudet trigintatribus,

PROVINCIA S. ANGELI in quatuor defecit, habetque vigintiquinque Conuentus, quæ vigintinouem habebat.

DALMATIA integra Cuſtodia Raguſina deficiente, & Iaderenſi Conuentu, pro triginta, viginti & vno Conuentibus conſtat.

BVRGVNDIA maximo decremento notata triginta ſeptem commutauit in ſeptendecim Conuentus.

PROVINCIA, ſeu S. Ludouici valdè decreuiſſe videtur, vtpotè, quæ Piſano ſtat quinquaginta duobus Conuentibus, nunc verò ad vigintiquatuor reſtringitur, ſed Occitania iam ipſius membrum, nunc nobis diſtinctam conſtituit Prouinciam, ſenſitque Prouincia vexationis Ambaſianæ incommoda.

COLONIENSIS tunc quadragintaſex læta Conuentibus, nunc ab Hæreſi expilata meret, ſolis vigintiduobus in Conuentibus.

ARGENTINENSIS eodem turbine quaſſata è quinquagintauno, vndeuiginti ſeruauit ab Etherodoxis.

ROMANIA tunc tredecim, nunc tribus ſtat in Conuentibus, cæteroſque Turca vaſtauit.

AVSTRIA quondam vigintiquinque, nunc ſeptendecim habet Conuentus, quia ab ipſa exciſſa eſt Prouincia Styriæ quondam Cuſtodia Auſtriæ.

BOHEMIA Piſano quadragintaduos præbuit Conuentus enumerandos, ſed nondum fuerant Huſſitæ, & Ziſcani Eccleſiarum incendiarij, quorum impietati ſoli ſeptendecim ſuperuixere Conuentus, fuitque facta Metropolis alterius Prouinciæ Cracouia, tunc Cuſtodia Bohemiæ.

HVNGARIA tunc quadragintaocto Conuentuum Prouincia, tot caſibus, ac cædibus nutans, abiuit in quatuor tantùm Conuentus cum multis tamen domibus Parochia-

libus pro noſtrorum reſidentia.

Ex quo habes, quod in ijs Prouincijs fuerunt Piſano Conuentus nongenti quadraginta, mihi verò ſunt hoc anno quo ſcribo octingenti trigintaduo.

7. Aſt ſupputandi adhuc remanent Conuentus Prouinciarum, quæ ſcribenti Piſano vel non erant, vel non erant Prouinciæ ſcilicet Polonia, quæ trigintaduobus Conuentibus conſtat, Ruſſia quæ quadraginta, Occitania quæ ſeptendecim, Styria quæ vndecim, Sardinia quæ nouem, Leodium tribus, Oriens duobus, Tranſiluania vnico, e quorum additamento ſubnectam domos centum quindecim, quæ cum locis Miſſionariorum, aliquibus Grangijs non datis, & alijs Conuentibus, quos quotidiè, ommiſſos à tranſcriptoribus reinuenio, complebunt millenarium (vel circiter) numerum, locorum quæ teneant hodie Conuentuales; huic autem millenario ſi adnecterentur & aliæ Prouinciæ, quæ temporibus Piſani exiſtebant, videlicet Aragonia, quæ fuit Conuentuum 36. Caſtella 42. S. Iacobi in Galæcia 42. Terra Sancta 9. Aquitaniæ 61. Turonia 33. Francica 57. Anglia 59. Hybernia 35. Dania 33. Saxonia 84. Boſna 36. Tartaria 5. Vicaria Aquilonaris 17. Vicaria Orientis 7. conflaretur adhuc numerus aliorum quingentorum quinquagintaſex Conuentuum iam dicto actuali millenario ſuperaddendus, & ſupputato augmento ab anno 1400. ad præſentem diem, quod à ſuppreſſione Innocentiana deduci poſſet, reperiretur Conuentuales bis mille domos habuiſſe. Quæ ne ad iactantiam cumulata videantur, hoc candidè repeto quod dixi nos Conuentuales nunc in anno 1682. mille tantùm Domos habere, cæteras amiſiſſe. In cuius computi calce moneo, comparationem noſtri ſtatus actualis cum eo temporum Piſani, eſſe factam iuxta numerum Conuentuum, quos modo habemus ſcilicet poſt ſuppreſſionem Innocentianam, de qua ſit

PRÆLO-

PRÆLOQVIVM QVARTVM.

Variatio numeri à ſuppreſſione Innocentiana.

8 DEdi quidem numerum Conuentuum actualem, nempè eorum quos Conuentuales incolimus hoc anno 1682. & aliqua enumeraui decrementa,& incrementa domorum, vſque ad eum numerum, in quo conſiſtimus: libet tamen alterius imminutionis cauſam, & tempus attexere,cuius occaſione ad alienos Conuentualium loca tranſiere, ſicut & aliorum Regularium.

Innocentius X. Pontifex Maximus diſciplinam Regularem infici ratus à Locellis, atque Conuentulis, in quibus Religioſorum paucitas obſtaret retinendis Regularibus in viridi obſeruantia, aboleuit, atque ſuppreſſit omnes Conuentus,quorum prouentus ſex alendis Fratribus non eſſent ſatis, quod vt præſtaret, à ſingulis omnium Religionum Conuentibus tranſmitti iuſſit Romam,reddituum notulam, quæ daret exitum, ac introitum, & dijudicaret Conuentulos ſupprimendos, ex qua & cæteri maiores præſcriberentur affixo numero Fratrum, redditibus proportionato, qui excedi non poſſet. Quibus ad mentem actis, dirigente Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Proſpero Fagnano Prælato Secretario Sac.Congregationis ſuper ſtatu Regularium ad id inſtitutæ, tandem die 24. Octobris 1652. emanauit decretum de abolendis ijs, qui in vnaquaque Prouincia ſignabantur, hocque decretum fuit epiſtola familiaris ad Procuratorem Ordinis (quę originalis adhuc extat in hoc Archiuio ad Pontem Sixtum in Vrbe) duplicata ad quemcumque Epiſcopum pro ſua Diœceſi, & roborata per Conſtitutionem *Inſtaurandæ &c.* ſub dat. Romæ idibus Octobris 1652. anno 9. Quia verò aliqui Fratres de redditibus referentes non omnia expoſuerant, vnde fiebat vt & è pinguioribus Conuentibus perirent aliqui, & quia Opidani pleriq; vnico, quem haberent alicubi priuabantur

Con-

Conuentu, neque vellent deſtitui ſpiritualibus miniſterijs, quæ à Regularibus perciperent, frequentes recurrebant, hinc factum eſt, vt à proſcriptione multorum Conuentuum nomina abraderentur, multique iam ſuppreſſi reſtituerentur, quos tamen vt in diſciplina contineret idem Pontifex per Decretum *Vt in paruis &c.* Dat. &c. 10. Febr. 1654. ſubiecit viſitationi, correctioni, & omnimodæ iuriſdictioni Ordinarij loci tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, ſub quo manerent, donec ipſorum reditus ſufficerent duodecim Regularibus alendis, hocque Sac. Congregationi conſtaret pro ipſis tunc ſubtraendis ab Ordinariorum iuriſdictione.

Aliquibus autem Epiſcopis procurationes pro Conuentulorum viſitatione exigere prætendentibus; Alexander Papa VII. per ſuum Decretum *Cum ſacra &c.* 25. Iunij 1664. ſtatuit non licere Epiſcopis huiuſmodi Conuentus viſitantibus aliquid accipere procurationis nomine ſeu in pecunia, ſeu in victualibus, & ità obſeruari præcepit non obſtantibus &c. & ne inter Epiſcopos, ac Prouinciales Regularium ſuborirentur lites circa correctionem, & ſuperioritatem in præfatis Conuentibus reſtitutis, ac vtrique iuriſdictioni ſubiectis, propoſitis de hoc viginti & vno dubijs, datæ ſunt declarationes ab eadem Sacra Congregatione ſuper ſtatu Regularium ſub die 17. Iulij 1655. quæ omnia collegit in vnum, typiſque dedit anno 1671. vna cum ſua allegatione de Grangijs idem Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Proſper Fagnanus; ipſæque in calce huius apponam ad commoditatem eorum, qui Roma diſtant, nec fortè habent cuſſa à Fagnano.

9. Quæ quidem nota, & recentia, memoro, quia etſi nos Seniores, qui ante triginta annos viuebamus non lateant, Iunioribus tamen omnibus non ſunt comperta, iuuatque aſſumendos ad Prouinciarum gubernia noſſe vbinam cumulatiuè, vel priuatiuè procedat iuriſdictio, quibuſue legibus, & locis ſtet, circumſcribatur, vel conſer-

uetur

uetur illæſa. Vnde & ad melius cuiuslibet Prouinciæ regimen, ſubnectam quinam Conuentus in quacumque Prouincia Epiſcoporum viſitationi ſubiaceant.

PRÆLOQVIVM QVINTVM.

De Conuentibus Ordinarium ſentientibus.

10 ORdine ſolito Prouinciarum, ſuos vnicuique aſſignando decerptos & à tabulario Prouinciarum ad Pontem Sixtum, & ab epiſtola originali Sac. Congregationis ſuper ſtatu Regularium prætacta, ibidemque aſſeruata do Conuentus Epiſcopis ſubiectos: & primo

PROVINCIA VMBRIÆ tali viſitationi obnoxios habet Conuentus Fractæ, Iani, Nuceriæ, Ciuitatis Regalis, Accumuli, Poſtæ, Arquatæ, Dirutæ, Marſciani, Canariæ, Cereti, Viſſij, Montis Leonis.

PROVINCIA ROMÆ Conuentus Turrium, Tarani, Vincanelli, Bledæ, Cryptarum, Toſſiæ, Longonis, Burghetti, Arcis Sinibaldæ, Belmontis, Canis mortui, Roiatis, Priuerni, Maentiæ, Ciuitatis Caſtellanæ, Roncileonis, Montis Faliſcorum, Vulſinij, Montis Leonis, Vicivari, Alatriæ, Genezzani, Signiæ, Sermonetæ, Pittiliani, Baucij, Gallicani, Petrellæ, Pontiani.

PROVINCIA S. ANTONII loca Tiſanæ, Meſtræ, Barbanæ, Palmæ, Caſtri Porpetti, Pulcenici, Brancolini, Lemniacique.

PROVINCIA BONONIÆ, Saxoli, S.Ioannis, Runcorum, Briſighellæ, Planeti, Verruculi, Ceruiæ, Montis Regis, Montis Scuttoli, Pellegrini, Siſſiæ.

PROVINCIA NEAPOLIS, Flumarij, Arcis Rainolę, Caſtri franci, Soræ, Inſulæ Soranæ, Biſacciæ, Theoræ, Rubi, Calatiæ, S.Fęlicis, Arpini, Serini.

PROVINCIA SICILIÆ Conuentus Sabucæ, Gatterij, Calatanizettæ, Cephaludij, Cluſæ, Comiſi, Veriæ, Caſtri

rega-

regalis, Saponariæ, Liminæ, Recalmuti, Tuſæ, Siclorum, Canini, Militelli, Troinæ, S.Stephani, Buteriæ, Luodiæ, Biuonæ, Caſtrinoui, Campi franci, Politij, Montiſmelis, Petraliæ, Gibellinæ, S. Saluatoris, S. Luciæ, Cæſarodij, Nicoſiæ, Gaudiſij, Fluminis Dionyſij.

PROVINCIA MARCHIÆ, Conuentum Vrbanaæ, S.Marini, Montis S.Viti, Mondaini, Fori-Sempronij, Monticuli, Serræ Comitum, Mondauij, Montis S.Petri Morici, Caſtineani, Montis Melonum, S. Anatoliç, Ripæ Tranſonç, Mondulphij, Appineani, Caldarolæ, Montis Florum, Staffuli, Barbaræ, S. Patritij, Columnellæ, Carpinei, Montis Rubiani, Fractarum, Saltariæ.

PROVINCIA S. NICOLAI, Cryptularum, Auriæ, Iuuenatij, Vigiliarum, Caſtellanç, Mottolæ, Alexiani, Hydrunti, Maritimæ, Ioæ, Turris S.Suſannæ, Malearum, Spinç aureæ, Cirincolæ, Canuſij, Martinæ.

PROVINCIA MEDIOLANI, Vallis -- Camonicæ, Oreni, Saxi, Benaci, Carracæ.

PROVINCIA TVSCIÆ, Sudereti, Carminiani, Monterij, Barberini, Aſciani, Corfiniani, Tunniarum, S.Quirici, S.Proceſſi, Maſſæ, Vici Piſani, Cluſij.

PROVINCIA IANVENSIS, Nauli, Montis Calerij, Montis Syon, Cçuæ, Morettæ, Riparolij, Auellianæ, Segeſti, Caſſinarum, Spigni, Bargij, Cornieti, Chiuaſſij, Sartiranæ, S.Saluatoris.

PROVINCIA S. BERNARDINI, Controguerræ, S.Homeri, Camplij, Therami, Albæ, Bucchianici, Guardapræli, Alanni, Carapellis, Scamni, Aternç, Ciuitellæ Truentinæ, Piſcinæ, Corbariæ, Cattiniani, Inſulæ, Cçlini, Ciuitatis Retenghæ, Beſſiarum.

PROVINCIA CALABRIÆ, Antillæ, Scaleæ, Venarum, Franciaci, Arenæ, Settiniani, Villæ Valerij, ſeu Mottæ.

PROVINCIA S. ANGELI, Iſerniæ, S. Ioannis rotundi, Larini, Aquiloniæ, Balneoli, Fruſini, Gulioniſi,

S. Aga-

Digitized by Google

S. Agathæ, Bonifri, Bouini, Limoſani, Æſculi.

Cæteras Prouincias hæc mutatio non affecit, Italicis ſolùm, Inſuliſque adiacentibus formata. Velim tamen ſcias, quod tanta nominum, Scriptorum, ac liturarum farrago adeo Secretarios circumegit, vt à Sacra Congregatione exierint mendosè data multa nomina propria, vnde ego, qui ad hæc vtor originalibus Sacræ Congregationis datis ad tunc temporis Procuratorem Generalem, licèt multa correxerim, in multis tamen, & mihi ignotis, poſſum erraſſe circa nomina propria, & numerum, nam ego Conuentus Fractarum ad Forum Sempronij, Saltariæ, Scyllacij, Montis Buſſeti, Aqualaniæ, & alios ſcio ſuppreſſos, quos tamen in prima citata epiſtola Sacræ Congregationis notatos non reperio, vnde ad alicuius petitionem iuuat credere fuiſſe poſtea aboletos.

11. Potui & in hoc erraſſe, quod plures ſub Epiſcopis poſuerim, quam verè ſint, nam cum auctis redditibus, qui ſufficiant ad duodecim alendos, ſubtrahantur Conuentuli Epiſcoporum iuriſdictioni, noui iam multos emerſiſſe, ſubtractos Ordinarijs, ſed cum hæc fiant per recurſum ad Sacram Congregationem ſuper ſtatu Regularium, quæ audito Epiſcopo, ſi vera ſint expoſita, dat Conuentui recurrenti particulare Decretum ſuæ ſubtractionis ab Ordinario, conſequenter cum hæc in eodem tempore, vel per Decretum generale, ſeu per recenſionem ex notula omnes comprehendente, non fuerint facta, mihi ſingillatim non innotuerunt, nec in hoc mei Officij biennio iam expleto, vllus eſt ſubtractus ab Epiſcoporum iuriſdictione. Aſt vtinam ſaltem cum Epiſcopis partiremur iuriſdictionem, ſed nimij remanent adhuc ſuppreſſi, quorum placet reminiſci, vt poſteri pertranſeuntes, Eccleſias iam noſtras ingrediantur, requiem noſtris Patribus ibi ſepultis precaturi, vel corpora Beatorum Ordinis, quæ in aliquibus iacent adoraturi, vel tandem expergiſcant ad aliquorum verè neceſſariorum, & deſidum labe ſuppreſſorum reſtitutionem procurandam.

PRÆLOQVIVM SEXTVM.

De Conuentibus adhuc ſuppreſſis.

12 NOn omnes Conuentuli ab initio proſcripti, fuerunt aboleti. Qui enim ab aliqua impoſitione timentes minuerant redditus in relatione tranſmiſſa, petita, atque obtenta venia, partim Conuentuum ſuppreſſione non fuerunt puniti, partim non auditi, ſed temporis tractu multi alij fuerunt reſtituti, qui, vt ſub num. 8. dicebam, ſubiaceant viſitationi Ordinarij: Et modo etiam Populorum petitionibus annuens Sanctiſſimus, aliquando aliquos reſtituit, præſertim ſi in loco petentium alij Regulares non ſint, & probetur ſubſiſtentia reddituum, pro ſex alendis, quæ vt in plurimum per annua tercenta ſcuta Romana, vel circiter, conſideratur. Et iuxta has regulas, etiam tempore meæ durantis procurationis, noſtræ Religioni obtinui reſtitui Conuentus Limoſani in Apulia, Sancti Stephani in Sicilia, Bauſij itidem in Sicilia, atque Biuonæ, ſperoque aliorum pro quibus ago, reſtitutionem. Qui verò ſequntur, ſunt ij, qui adhuc in ſuppreſſione perſiſtunt, nempè

IN PROVINCIA S. FRANCISCI remanent ſuppreſſi Conuentuli Baſtiæ, Rocchicciolæ, Corciani, Gualdi, Monticuli, Lippiani, Sellani, Porrectæ, Montis Sancti, Collis Statij, Caſtri Lacus, S. Illuminatæ, Campiveteris, Valli, Ocoſcij, Montis-galli, Scaij, Planiportus, Cultrij, Pedeluci, Ciuitellæ, Agelli, Fontanellarum, Regari, Pregij, Troſciani, Caſtilionis.

IN PROVINCIA ROMANA, Mugliani, Podij-catini, Valerani, Carſiniani, Sipicciani, Gradulorum, Ciuitellæ, Roiani, Ruſciani, Montis-fortini, Ceccani, Collis longi, Caſtri Verulani, Paliani, Poli, Caſapij, Poſſij, Præſedis, S. Gregorij.

IN PROVINCIA S. ANTONII, Fractæ, Doli, Summæ

mæ campaniæ, S.Danielis, S.Saluatoris, Bonferrarij, Carboſellarum, Curzolæ, Collis-alti, Villæ-altæ, Capitis aggeris, Montis belli, Campaniæ, Sacillis, S.Stephani Atheſtæ, Valmurinij, Adriæ, Garziniani, Bouuli noui, S.Petri in Oſio.

IN PROVINCIA BONONIÆ, Mordani, Monticuli, Montis Falconum, Fabrici, Zattaliæ, Fractæ, Montis Coduccij, Maranelli, Baſtiæ, præterquos nos anno *1676.* vltro ceſſimus loco Caſtrivitrei, iure retento ad regreſſum, quandocunque quædam legata ſoluerentur, ſine quibus non erat conſiſtentiæ locus.

IN PROVINCIA NEAPOLIS, Gallucij, Mignani, Mazzani, S.Ioannis in Cario, Aliſæ, Montis Mali, Ciprani, Montis Marani, Roſignij, Baraiani, Puteolorum, Pici, Fractarum, Caſtri-fortis, S.Victoris, Aquini, Arcis, S.Donati, Pattani, Reuellij, Arciſmontis, Boni habitaculi, Caprearum.

IN PROVINCIA SICILIÆ, Gryptæ, Caroniæ, Tauromina, Montis rubei, Iaratanæ, Calcontini, Suteræ, Ferramæ, Alexandæ, Arcis-francæ, Colis-ſani, Sancti Mauri, Pellegrini, Iſnelli, Aidonis, S. Fratris, Nothariæ, Barnaſi.

IN PROVINCIA MARCHIÆ, Senogalliæ, Saxi-ferrati, Marani, Montis S.Petri, Gimani, Galliniani, Lunani, Saxi-corbarij, Venæ-ruptæ, Aquæ-ſanctæ, Capradoxi, Aquæ-viuæ, Montis-florum, Offidæ, Podij, S. Viti, Montis Coſori, Montis Buſſeti, Aqualaniæ.

IN PROVINCIA S. NICOLAI, Loperani, Stordæ, Montis Sardi, Poggiardi, Furſæ, Bernaldæ, Balneoli, Setonatiæ, Roſietti, Bittecti, Atellæ.

Nullus Conuentus perijt in Prouincia Mediolani, quæ ſola in Italia euaſit.

IN PROVINCIA TVSCIÆ; Ciuitellæ, Campiliæ, Gangareti, Laterinæ, S. Mariæ Magdalenæ, Clanciani; Monticellarum, Marſciani.

IN PROVINCIA IANVÆ, Lauaneolæ, Maſij, Sartiranæ, Caluſij.

IN PROVINCIA S. BERNARDINI, Villę-magnę, Vallis Caſtellanæ, Morſi, Monterij, Balzorani, Moreæ, Francavillæ, Palenæ, Trocceni, Tocchij, Siluij, Appiniani, Gorziani, Siculi, Paganicæ, Ciuitatis Antimæ.

IN PROVINCIA CALABRIÆ, Lutij, Palutij, Roſarnæ, Bel-caſtri, Scyllacei, Nicaſtri, Nicoteræ, S.Martini, S.Annæ, Arcis, S.Agathæ, S.Laurentij, Cropani, Papaſideri, Auguſtæ, S.Seuerinæ, Scalæ, Cinotij, Cariactis, Cacurij, Badolati, Planicæ, Riatti, Monteſoni, Viriati, Filandarii, Sideriniæ.

IN PROVINCIA S. ANGELI, Caſtilionis, Gambateſiæ, Macchiæ, Procenæ, Piſcariarum, Rhodi, Gipſij, Paliettæ, Montis Odoriſij, Cagnani, Arcadiæ, Montis Corbini, Caliſtortę, Alberini.

Supra ducenteſimum aſcendit numerus Conuentulorum, qui adhuc ſunt ſuppreſſi, numerum etenim certum dare non audeo, quia licet è Regiſtris mei Officij habeam deſtinatos, & reſtitutos, tamen conſtitutus in mala fide, exemplo ſuppreſſorum, qui non erant in primo Decreto, non habeo quid certi credam de ſimilibus obuenerit, ideòque abſtineo à certitudine determinata numeri proferenda.

PRÆLOQVIVM SEPTIMVM.

Numerus Religioſorum.

14 IN dictis Prouincijs commorantium non eſſet cur produceretur, niſi temporis ratio ſuaderet poſſe nos conformari huic ſęculo, in quo multæ Cœnobitarum Familiæ ſub ſignis viſuntur enumeratæ, factoque publici iuris numero, & deuotæ exterorum curioſitati, & laudandę ſuorum voluptati occurrerunt, in tot Prouincijs diſpertitæ, pul-

pulchræ vt caſtrorum acies ordinatæ; cum verè Caſtra Dei ſint hæc Regularium tentoria, ſub quibus ipſi militanti Eccleſiæ merent. Et quidem è Monacis PP. Benedictinos nouimus à Iulio Caponio Neapol. to.2.diſcept.79.num.4. ſic diſperſitos, quod è quinque Congregationibus inter ſe non participantibus, Italia, quæ Caſſinenſis, & iam S. Iuſtinæ dicebatur, habeat Monaſteria circa ſexagintaſex: Germanica, ſeu Bursfeldenſis, Monaſteria centum quinquaginta: Gallica, ſeu Caſſalis, Monaſteria quindecim; totidemque Mulierum: Hiſpanica, ſeu Valliſoletana, Monaſteria quadraginta: Luſithana Monaſteria viginti. Anno 1679. prodijt typis Ignatij de Lazaris Cathalogus Prouinciarum, in quibus degunt Patres Societatis IESV, qui in triginta quinque Prouincijs, & duabus Vice-Prouincijs enumerant Domus profeſſas vigintitres, Collegia quingenta ſeptuagintaocto, Domus probationis ſeparatas quadragintaocto, Seminaria octogintaocto, Reſidentias centum ſexaginta, Miſſiones centum ſex; & in ijs omnibus decem & ſeptem mille, ac ſexcentos quinquaginta verè Viros, quibus alma virago Societas nunc eſt fœcunda. Inter Regulares, eloquentiæ hiſtoricæ Pater, Silos Theatinæ hiſtoriæ Scriptor, quam iam tribus tomis eſt complexus, Clericos Regulares Theatinos, à Sancto Gaetano, & Con-Patriarchis fundatos, mille circiter eſſe litteris prodidit. In ſchedulis, quas rogati ipſorum Superiores maiores dedere, habeo, quod PP. Carmelitæ Excalceati Congregationis Hiſpanicæ in ſeptem, quas habent, Prouincijs, ſint ad tria circiter mille Religioſorum; ijdem verò Patres Excalceati Congregationis Italicæ in ſexdecim Prouincijs, ac decem Miſſionum Reſidentijs, quas pijſſimè exercent in Syria, Paleſtina, Perſide, & Indijs Orientalibus, ſint quatuor mille Patres, vel circiter.

Has tu Religiones inter numeroſiores certè non recenſes, quas tamen ego inter præcipuas, illuſtriores, & Eccleſiæ Dei vtiliores enumerandas exiſtimo, quod nemo cor-

datus

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

datus inficiabitur: Monacos enim Benedictinos ni ſanctitas, ni ſeruatæ apud ipſos litteræ à Barbarorum illuuie, vel data ſacris maieſtas, vel apertus Eccleſiaſticæ amplitudini decoroſior introitus extolleret, eleuaret vtique alta Petri Sedes, in qua laudatè, & ſanctè ſederunt per tot è ſuis aſſumptos Pontifices Romanos. Tu PP. Ieſuitas dicito ſeptemdecim mille ſexcentos quinquaginta quinque, & addam ego hos maiorem fortè numerum dediſſe de omni ſcibili Scriptorum primæ notæ, quorum ſinguli inter laudatiſſimos collocentur. Dinumerabo gentis Theatinæ miracula, quæ ſola redundat ſemper, tot, talibuſque Diuini Verbi declamatoribus, vt vel ſola cæteris præſtet, vel cæteris non ſecunda numeroſioribus, tot inde dederit Epiſcopijs in fulatos, vt iure acclametur hæc Religio Epiſcopale Seminarium. Stupebis, ſi fructus inſpicias, quos in Vinea Domini producunt Excalceati Carmelitæ, ad fideles æquè, ac infideles proficui, non ſecùs, ac laudandi ab vtili obſequio, quod Sanctæ Eccleſiæ Romanæ præſtant, tùm exemplari vita, tum ſcientijs, & conuerſionibus, quibus fructuoſiſſimè inſudant, non obſtante ſumma, eaque numquam mitigata vitæ auſteritate. Ex quorum animaduerſione concludito, numeri paucitati ſæpe connecti virtutum multitudinem, eaque Religionum ornamenta ſub numero non cadere, quæ numero non conſiſtunt; vnde ſicuti ad Spartanos dicebatur in Thermopilis *Tercenti ſumus, ſed lacones, ſed armati, ſed ad Thermopilas: numquam vidi plures tercentos*; paucitatem hominum, ſed pluralitatem habilitatum inſpicienti licebit fortè dicere, numquam vidi numeroſiorem paucitatem; ſi tamen paucitas, vbi pluralitas virtutum, ideòque Virorum; non enim in Religionis foro cum Diogene homines quęro, ſed Viros. Hoc Brenni ferro ſtat Religioni pondus, & æſtimatio. Illa inſignior Religio, quæ lacæna viros parit, quam quæ vberior plures paſcit. Curandum eſt quales, non quanti ſimus, & qui, non quot.

Subne-

15. Subnectere igitur libet numerum Minorum, tùm in radice, tùm in ramis, eumque dare, quem hoc non ſolùm ſæculo, ſed luſtro, ſinguli prodidere; nam quoad radicem, primæua hæc, & antiquior Religio, ex qua tamquam Minoritica Matre filiales Ordines immediatè, vel mediatè prodierunt, ſub actuali Miniſtro Generali Ioſepho Amato de Maſaphra eas enumerat Prouincias, quas diximus, in quibus præfato Miniſtro obediunt ad circiter quindecim millia Regularium Conuentualium, ſicuti liquet ex Prouinciarum deſcriptione, quam ſinguli Prouinciales poſt Congregationem Generalem anni 1680. ad me dedere pro Tabulario Procuratoris Ordinis ad Pontem Sixtum in Vrbe.

Patres Obſeruantinos enumerat in ſuæ Religionis proſpectu, luci dato per Michaelem Herculis Romæ anno 1681. P. Dominicus de Gubernatis à Soſpitello Reformatus, Chronologus ſuæ Religionis electus in Generalibus Comitijs anni 1676., eſtque numerus, qui ſequitur.

